

Supra qua re Caesarea Maiestas gratiose eis per scripta responderit et consolata sit, posteaquam Sua Maiestas dietam imperialem evulgaverit, ad quam Electorem, Principes, et alii adherentes vocare constituerint, eam ob causam, ut cum ipsis quicquid in huiusmodi et similibus causis tractandum esset quantum necessitas exigeret tractare, et deinde Electori, Principibus, ac eorum adherentibus tale caesareum ac clemens responsum dare velit, quod illis nequaquam esset displiciturum.

Propterea Elector, Principes, ac eorum adherentes nunc denuo humillime petunt, Caesarea Maiestas dignetur de iam audita promissa consolatione clementer respondere, quo in Sacro Romano Imperio pax fieri, ac negotia omnia eo comodius pro iamdictae Caesareae Maiestatis ac Sacri Romani Imperii incremento tractari et deduci possint, ad hac iam dietis legatis commodum et bonum videtur, cum Caesarea Maiestas ac omnes Status Sacri Romani Imperii non ignorent, quod grave futurum sit hoc tempore germanicae nationi tantam multitudinem populi quantam in Augustensi recessu reperitur comeatu, annona ac aliis rebus necessariis intertenere potissimum. Cum hactenus talium rerum nihil dispositum aut ordinatum sit et ad dictos legatos venerit dissentiones ex parte regni Hungariae futuras esse ut Caesareae Maiestati humillime supplicetur quo Sua Maiestas quantum fieri posset iuvare velit et instare ut bellum in Hungaria componatur, quod si fieret, confiderent ac sperarent quod Turcae institutum ea ratione reprimeretur et aucleretur.

Et si post huiusmodi facta concordiam et pacem turca regno Hungariae grave et molestus esse pergeret et germanicae nationi incomoda inferre velit, quod tum Sacrum Romanum Imperium cum hungaros amicos et auxilio habere eo facilius et tutius turcae se se opponere posset, quam si huiusmodi discordia in Hungaria inconcordata et indecisa permaneret.

97 *Relatio Caesareae Maiestatis ad responsum Electorum, Principum ac Statuum super articulo de auxilio contra Turcum, die 21 Aprilis 1532.*

Sacratissima Caesarea Maiestas dominus noster clementissimus legatorum, qui ab Electoribus tam spiritualibus quam saecularibus missi sunt Principum eorum absentium Legatorum ac aliorum Sacri Romani Imperii Statuum, qui in his comitiis com-

paruerunt, responsum, consilium ac eorum consensus quae ad suae Maiestatis propositionem in scriptis obtulerunt clementer intellexit.

Et quod de Suae Maiestatis gratiosa petitione dilatione dietae imperialis Spirensis et mutatione loci in hanc civitatem Ratisbonam non solum nihil gravantur sed magis suae Maiestati ob clementem propensionem et bonam voluntatem erga Sacrum Romanum Imperium et germanicam nationem obedienter gratias agunt, etiam articulum contra Turcum in primis ad munus tractandum acceperint suae Caesareae Maiestati gratum est, quod in huiusmodi Maiestatis suae clementi propensione et bona voluntate, etiam petitione hoc modo contenti sint et proposuerint. Quemadmodum Sua Caesarea Maiestas gratiose futurum speraverat. Et cum de extemporaneo auxilio contra Turcum in dieta Augustensi proxime celebrata conclusum sit, videlicet ut 40 millia peditum et 8 millia equitum decerneretur, quamvis sua Caesarea Maiestas huiusmodi auxilium egregium ac prestans esse videlicet quemadmodum est etiam nihilominus tamen Sua Caesarea Maiestas veretur, quod huiusmodi auxilium una cum illo quod Sua Caesarea Maiestas dare decrevit et propensa est ad occurrendum Turcae non satis futurum sit, considerata maxima potentia et magnitudine exercitus quem secum aqua et terra adducit, multo copiosiore et instructiore quam unquam ante hoc tempus adduxerit, quemadmodum Sua Caesarea Maiestas eius rei optimas explorationes habet.

Praeterea expedit Sua Caesarea Maiestas quod quidam ex statibus longo spaci intervallo disiuncti sunt et huiusmodi extemporaneo auxilio subito quemadmodum necessitas expostulat expediri non possint, praeterea quod quidam omnino non pareant ac quidam renuere et rebellos fieri possent, unde non modica diminutio exercitus fieri posset videtur Suae Maiestati, quod ad huiusmodi extemporaneum auxilium necessaria deliberatio et provisio comeatus et annonae fiat. Praeterea quicquid ad professionem et expeditionem ac omnium rerum usum conducibile sit, diligenter et expresso consilio ordinetur.

Et quod de his omnibus deinceps et quamprimum in consilio tractetur ut ad realem effectum rei perduci possit et valeat.

Insuper Sua Caesarea Maiestas gratiose petit ut Status imperii ad huiusmodi dietam auxilii exhibitionem et articulum ad eos quos Caesarea Maiestas clementer subordinare intendit, aliquot specialiter